

seu officialem maiorem, qui deputatur ad custodiam Arcis S. Angeli, sub nomine, seu titulo Castellani.

Prout etiam, deputari solet vnus ex Camera Apostolicæ Clericis, qui commissarius armorum dicitur, tanquam species Consiliarij seu Assessoris dicti Ducis Generalis militiarum.

Habent itaque isti Duces vtriusque terrestri, & maritimæ militiæ, illam iurisdictionem, quam vbiq; connaturalem habere videntur, cum inferioribus Ducibus, ac militibus, iuxta regulas fori militaris, quæ tamen vbiq; non sunt vniformes, dum maiores, vel minores facultates, à singulorum principatum legibus, & stylis pendent; Vnde desuper apud Doctores, quæstiones haberi solent, & præsertim circa prædictas locales militias, quæ ex populo electo singulorum locorum constituuntur, atque mor e reliqui populi, in eorum domibus viuunt, an scilicet, & quando intret iste forus militaris priuatiuè ad Iudices ordinarios locorum, à quibus exemptionem obtineant, quod aliquantulum in iurisdictionalium sede insinuat. A

Custos autem dictæ Arcis S. Angeli, non solum habet iurisdictionem, cum militibus præsidarijs, alijsq; officialibus, & ministris, qui in ipsa arce viuunt, sed etiam cum plerisq; artificibus, & alijs per Urbem sparsis, qui ea gerant ministeria huius Arcis munitioni ac seruitio oportuna.

Item tota Ciuitas Leonina, quæ vulgo Burgus appellatur, ultra scilicet pontem dicti Castri S. Angeli; Et quæ pro custodia Palatii Vaticanæ constituit quandam speciem munitionis, contradistincta à reliqua Ciuitate, sub dicti præfati Ducis Generalis iurisdictione esse dicitur, vnde propterea, ratione populi, qui in hac parte, Ciuitatis viuunt, habebatur formalis curia, quæ Burgi dicebatur, cum Iudicibus, civili, & criminali, ac fiscali, & notario, & cum familia armata cum proprio Barifello, & carceribus; Verùm à moderno tempore, sub Alexandro VII., sine præiudicio iurisdictionis, ac priuilegiorum, ad tollendum inconuenientia, quæ ex huiusmodi Curia-

rum, & Tribunalium multiplicitate oriri solebant, istius Curia, seu partis ciuitatis regimen, ex quadam speciali delegatione, commissum est quoque Gubernatori Urbis; Ducto exemplo ab Innocentio X. immediato prædecessore, qui omnino suppressit aliud Tribunal seu aliam curiam, quæ Marefcalli seu Sabellorum appellabatur, & cuius frequens mentio habetur apud illos præsertim Practicos, qui de rebus criminalibus agunt, & tamen hodiè amplius non est in rerum natura; Talis est rerum mundi vicissitudo, atque morum, ac stylorum mutatio.

Ea tamen circa milites Papæ notabilis differentia dignosci videtur, vt non vigeat illa maior incompatibilitas inter militiam sæcularem aliorum Principum, & clericatum ad effectum vacationis beneficiorum, vel amissionis pensionum ecclesiasticarum ex rationibus, & fundamentis de quibus præsertim in pensionum sede. B

B. tit. de pens. disc. 46.



De aliquibus Collegijs, quæ speciem iurisdictionis, ac facultatis saltem voluntariæ habent.

S V M M A R I V M.

- 1 De collegijs publicis Curia, quæ sint.
- 2 De illo Prothonotariorum participantium.
- 3 Quando Prothonotarij præcedant Episcopos, & Archiepiscopos.
- 4 De istius collegij facultate doctorandi, & creandi Prothonotarios.
- 5 De Collegio Abbreviatorum de parco.

P. 2. Relat.

Ec 2

6 De

A. tit. de iurisdit. disc. 78. & aliquid eod. tit. disc. 33. Rouit. in rubric. pragm. 1. de militibus.

- 6 De collegio secretariorum Apostolicorū, & aliorum officialium Cancellariæ.
- 7 De collegio scriptorum Archiuij.
- 8 De illo Aduocatorum Consistorialium, eiusque facultatibus.
- 9 De Collegijs theologorum, & medicorum.
- 10 De Collegio cursorum.
- 11 De pluribus collegijs priuatis.
- 12 Præsertim de Collegio Societatis Iesu quod redoleat vniuersitatem studiorum.
- 13 De collegijs artium, & professionum.
- 12 De Collegijs artium, & professionum.
- 14 De consulatu Florentinorum.

## DISC. XLIV.

**V**ltra Collegia, quæ iam in præcedentibus insinuatæ sunt, nempe; Cardinalium; Auditorum Rotæ; Clericorum, Cameræ; Et Prælatorum votantium, vtriusque Signaturæ, quibus contentiosa iurisdictio etiam competit; Alia quoque ad sunt Collegia publica, quæ licet non contentiosam, aliquam tamen voluntariam habent iurisditionem, seu aliquas facultates, & præminentias, nempe.

Collegium Prothonotariorum Apostolicorū participantium; Istud etenim, vt incidenter alibi insinuatum fuit, est Collegium constitutum ex duodecim Prælati, qui moderno tempore ad hunc maiorem numerum redacti sunt, dum prius erant minoris numeri septenarij, illudque est antiquissimum, in ipsa met primitiua Ecclesia, etiam circa eius initia, institutum per S. Clementem primū, vt scriberent acta Martyrum; Ideoque præcipuum eorum munus versatur in processibus, qui fiunt super canonizationibus, seu beatificationibus seruorum Dei, ob martyrium pro fide, siue ob virtutes, eosque Papa Notarios appellat, atque ipsis tantum, in literis, & Constitutionibus Apostolicis hoc attributū propriè antiquitatis cōueniebat; Verū quia per quandam extensionem factam per DD. in reservationibus Apostolicis beneficiorum, sub hoc nomine veniunt etiam illi Prothonotarij simplices absque prælatura, qui creantur, non solum per Papam sed etiam ex eius auctoritate, per

istud met collegium, ac etiam Cardinales, & Legatos, ac Nuntios, & Episcopos assistentes cappellæ Pontificiæ, in certo numero respectiue præfinitos; Hinc propterea hodie stylus est, quando Papa de istis Prothonotarijs agit, quod eos explicat cum illo adiecto *de numero participantium*, vt ita distinguatur ab alijs simplicibus.

Istud officium est venale, ratione emolumentorum, valoris scutorum duodecim mille circiter, magis, vel minus iuxta temporum contingentias, ex quibus emolumenta crescere, vel decrecere solent, ideoque non habet prætium fixum, sicuti habent clericatus Cameræ. Redolet tamen ratione antiquitatis quandam prælaturam honorificam, & existimabilem, ideoque pro frequentiori contingentia, penes viros nobiles, & qualificados esse solet; Atque præcedentiam in cappella, alijsque functionibus habet, supra omnes Prælatos, post illos ordinis Episcopalis etiā, supra Auditores Rotæ, & Clericos Cameræ, quamuis isti constituat collegia iurisdictionalia, longè maioris iurisdictionis, & estimationis; Quinimò in aliquibus publicis functionibus cernitur, quod præcedunt etiam Episcopos, & Archiepiscopos, in equitationibus scilicet solemnibus, quæ fiunt in ingressu Regum, & magnorum Principum, siue eorum Oratorum obedientiæ.

Siquidem primum locum occupant Episcopi assistentes cappellæ Pontificiæ, deindeque Prothonotarij, atque post eos accedunt Archiepiscopi, & Episcopi, alijsque Prælati, iuxta eorum ordinem; Idque aliquibus parum informati, exorbitans videtur; Sed reuera non est, ex duplici ratione; Primò nempe, quia isti incedunt in habitu solempni cum cappa magna supra rochetum, & cum pileo prælatitio supra birretum, eodem modo quo Episcopi, & Archiepiscopi assistentes, ac etiam Cardinales in illi solemnibus æquitationibus, in quibus ipsi interueniant; Puta associando Pontificem, siue occurrendo alicui Regi, vel magno Principi Urbem ingredienti; Aut etiam Cardinali nouiter creato, ultra montes; Et consequenter intrat id, quod generaliter est receptum, inter Dignitates, & Canonicos, & alios clericos Cathedralium, & collegiarum, quod scilicet parati præcedunt

dunt non paratos, ac etiam ipsum Vicarium Generalem Episcopi, dum alij Episcopi, & Archiepiscopi non assistentes, incedunt in habitu domestico seu priuato, vestis, & mantelletæ supra roquetum non autem cum habitu solempni.

Et secundò quia Episcopi assistentes & Prothonotarij, in huiusmodi functionibus interueniunt ex officio nomine Papæ, tanquam repræsentantes eius Curiam, seu familiam, cuius caput seu primus est Palatij Apostolici Præfectus; Alij verò Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati, non mittuntur per Papam, sed voluntariè interueniunt, in obsequium illius Principis, vel Oratoris, ideoque corpus familiæ Papæ, vnitum incedere debet, non autem pati intersecationem ab alijs, qui non sint de familia, atque diuersum gestant habitum, contra debitum ordinem hierarchicum, vel symmetricum.

Habet autem istud Collegium, vltra dictum ius conficiendi processus canonizationum, vel beatificationum, facultatem creandi aliquos prothonotarios inferiores, ac etiam creandi Doctores in vtroque iure; Benè verum quod ista facultate parè vti solet, idque fortè prouenit ex eo quod non de facili hanc viam tenent illi, qui istum gradum assumere volunt ob minorem estimationem de facto, vel ob difficultates, an huiusmodi doctoratus suffragetur, pro illis officijs, vel dignitatibus pro quibus requisitus est Doctoratus, in aliqua publica vniuersitate, vel academia; Quamuis enim agatur de Collegio, ideoque sit gradus magis qualificatus, quam ille qui conferitur per singulos qui eandem, ex Papali, vel imperiali concessione habeant facultatem; Attamen, cum non agatur de publica vniuersitate, vel academia studiorum, idcirco aliqua dubitandi ratio subesse videtur.

Aliud est pariter prælatitium collegium Abbreviatorum, qui de parco maiori nuncupantur, quorum mentio habita est supra occasione agendi de Cardinali Vicecancellario, & de Cancellaria Apostolica, quod ita aliquam iurisdictionem exercere videtur, atque speciem Tribunalis redolere, circa illud munus expeditionis literarum Apostolicarum, dum

quampures in Cancellaria oriri solent quæstiones, super modo addendi aliquas clausulas, quæ in supplicatione non contineantur, siue contentas extendendi, aut circa alia, quæ deciduntur per eos collegialiter in forma Tribunalis; Atque super isto collegio quamdam celebrem habemus Rotæ decisionem, occasione agendi de quæstione præcedentiæ cum illo officiali Cancellariæ, qui Corrector dicitur. A.

De Secretariorum Apostolicorum collegio actum pariter est supra occasione agendi de Secretario Breuium; Atque inter multos officiales Cancellariæ, quorum mentio pariter habita est, in dicta rubrica, Cardinalis Vicecancellarij, ad sunt quampura collegia, iuxta ipsorum officiorum genera, quoniam omnes illi officiales, qui habeant officium eiusdem generis vel qualitatis, collegium constituunt cum quodam ministro seu officiali, cui cappellani nomen tribuitur, vnde propterea collegialiter quampura negotia explicare solent ad eorum officium respectiue pertinentia.

Alicuius maioris, ac amplioris potestatis videtur collegium scriptorum Archiuij, tam, circa ea, quæ supra agendo de Præside Archiuij insinuata sunt quæ etiā circa facultatem creandi Notarios publicos, dum in curia penes istud Collegium residet; Ac etiam circa facultatem legitimandi bastardos, ad limites tamen constitutionis Pij IV., nempe sine præiudicio venientium ab intestato vt præsertim in materia fideicommissaria frequenter agitur.

Collegium Aduocatorum consistorialium, de quo agitur infra generaliter agendo de Aduocatis, & Procuratoribus alijsque Curialibus, aliquam habere videtur iurisdictionem, ac redolere speciem Tribunalis, ob facultatem doctorandi in vtroque iure canonico, & civili, quam nomine publicæ Romanæ Vniuersitatis exercet; Ac etiam ob regimen, & administrationem eiusdem Vniuersitatis studiorum, quæ sub nomine Sapientiæ in Curia explicatur, dum coram eis collegialiter congregatis, præside illo Cardinali, qui per Papam deputari solet, sit concursus Lectorum, & Professorum

rū ad cathedras vacantes, siue ad optio-  
nes maiorum.

In eadem Vniuersitate vel Sapien-  
tia adsunt etiam collegia Theologorum, &  
9 Medicorum scientificorum, qui physici  
appellantur, ad differentiam chyru-  
gum practicum, & mechanicorum; At-  
que penes vtrumque collegium residet  
quoque eadem potestas doctorandi in  
propria professione respectiue.

De Collegijs Notariorum agitur in-  
fra in eorum particulari Rubrica; Et vi-  
tra eos adest collegium Curforum Papæ,  
10 quorum officia sunt venalia in numero  
præfinito, iuxta Urbis partes, vel regio-  
nes, quæ inter ipsos distributæ sunt, pro  
exequendis citationibus Tribunalium,  
Rotæ, Camerae, & Auditoris Camerae,  
ac etiam Iudicum commissariorum, &  
Sacrarum Congregationū; Exceptis Tri-  
bunalibus, Vicarij, Capitoli, & Guberna-  
toris, ac etiam Ædiliū, & Consulū  
Agriculturæ, quæ sunt Tribunalia priua-  
ta Urbis potius, quàm Tribunalia Curie  
Papæ tanquam Papæ, cuius isti dicuntur  
Cursores, ideoq; dicta alia tribunalia ha-  
bēt proprios mādatarios, qui istud mu-  
nus gerant, exequendi eorum citationes;  
Istorumq; Curso-  
rū munus principaliter  
versatur circa intimationem cappellarū,  
& Cōsistoriorum, aliarumq; functionū  
pontificalium, Cardinalibus, & alijs, ac  
etiam circa Apostolicarum Constitutio-  
num publicationem in acie campi Floræ,  
vbi in aula ad id destinata vnus ex eis  
per turnum, qui Magister Curforum di-  
citur, ad quoddam præfinitum tempus  
residet, cum banco, in quo retinentur  
omnes commissiones iam signatæ, ad  
effectum illas incapsandi, vt earum vigo-  
re procedi valeat; Vndè propterea Practi-  
ci agendo de prosecutione appellatio-  
nis, adhibent illum terminum obligatio-  
nis redimendi commissionem à banco  
Curforum; Atque in eodem loco exposi-  
ta tenetur tabella indicatiua diei, in qua,  
post eius indicationem, teneri debet Cō-  
sistorium, vel Signatura Gratiæ, aut lu-  
stitiæ; Atque de isto officio agitur præ-  
sertim in materia societatum officij, quæ  
super his officijs frequentius fiunt.

Ista sunt collegia publica; Quamplura  
verò alia adsunt priuata, scholarium, &  
11 alumnorum in magno numero, & præ-  
sertim exterarum nationum, ad eos in-

stituendos in sacris literis, ac in alijs per-  
tinentibus ad Fidem catholicam, nempe;  
Germanorum; Græcorum; Anglorum;  
Scotorum; Hybernensium; Maronyta-  
rum, & aliorum; Ultra quamplura alia  
collegia, quæ ex priuatis, & pijs disposi-  
tionibus instituta sunt, in quibus adole-  
scentes retinentur; Et ultra maiora col-  
legia, illud scilicet Propagandæ fidei, cu-  
12 ius mentio habita est, agendo de ipsa  
Sacra Congregatione, ac etiam alterum  
Societatis Iesu, quod exceptis facultati-  
bus legum, & medicinæ, reuera Romanā  
Vniuersitatem studiorum, potius consti-  
tuit, vel repræsentat, quoniam licet in  
Sapientia adsint Professores seu Lectores  
theologiæ, philolophiæ, & aliarum facul-  
tatum vel artium liberalium; Attamen  
videtur potius quoddam studium ceri-  
moniale.

Habentur quoque plura collegia ali-  
quarum artium, & professionum, et præ-  
sertim à moderno tempore, illa artium,  
13 serici, & lanæ, cum proprijs Consulibus,  
eorumque Iudicibus, vel Assessoribus, cū  
iurisdictione, & causarum cognitione;  
Vltrà illos cōsulatus, qui, siue ex indultis,  
14 siue ex voluntaria conuentione habentur,  
vt præsertim est consularius nationis  
Florentinorum, qui habet propriū  
Notarium, in cuius officio prope eorum  
Ecclesiam propriam Sancti Io: Baptistæ  
huius industris nationis, quæ in Curia,  
nimum est super omnes alias copiosa  
negotia explicantur B, cum pluribus si-  
milibus.

B. de ista natione, eiusque Ecclesia & priui-  
legijs tit. de Parroch. disc. 24.

